Hud: quæ et qualia sint hæc musica instrumenta? ex fructibus eorum cognoscetis ea. iam verò Deus bone ubi Wettinga in Helvetiis, ubi Augiam Candidam non nisi ultra lacum Acronium sitam, nobile utrumque Monasterium reliqui? ô si illa nunc loqui possent, et me hercule loquuntur, si modo benignas vos aures præbetis Hud: non auditis ut illud Propertii vobis ingemiscant, inculcent iterumque iterumque occinant? vos ego nunc moneo (clamat utrumque) felix quicunque dolore alterius disces, posse carere tuo, musica hæc instrumenta, ô utinam mea nunquam subiissent tecta, ingrati hospites, dulce malum, dulce venenum, mox enim ut Amphiones, Orphei, blandæque Sirenes hic sedem fixêre, repudiari et exulare paulatim Minerua, contemni et corrumpi claustralis disciplina, nunc in hoc nunc in alio usum pati, religiosorum feruor sensim intepescere, mundi vanitas in monachorum animos irrepere, deinde quid? strangulat heu nimius fauces dolor, nec sinit loqui volentem plura loqui, unum igitur unum adhuc mali istius intactum caue at, tendes obserua S. Galli cœnobium, ut noxium hoc venenum procul semper à te amoueas, fugias, atque repellas, ni fortè mavis proprio, quàm alieno damno sapere. Sed iam in choro qui summa omnium deuotione ardere, pietate feruere, religione cultu nec non sanctitate efflorere, et effulgere deberet, prôh dolor quàm secus fieri quàm longè hæc omnia abesse cernimus! quæ namque in tanta instrumentorum musicorum copia, varietate, confusioneque pietas esse potest, verè posset hic illa dicere, quod Demosthenes ille Mitylenæus